# ORATIONES IN DIE CINERUM ET ASCENSIONIS DOMINI. AD ILLUSTRISS.MUM...

Bartolomeo Peretti

Digitized by Google

# IN DIE ASCENTIONIS DOMINI.

## ORATIO.

EA eſt non in humanis ſolùm, ſed & diuinis in rebus affectio (Beatiſſime, ac ſanctiſſime Pater,) vt quæ ſumma cura, laboribus, & vigilijs, ſunt acquiſita, in eis alendis, augendis, & tuendis, omne ſtudium, ſolicitudinem, ac curam omnem, ponere ſoleamus. Nihil iniquius, nihil durius euenire poteſt; quàm ſola cogitatione, vel quadam imagine etiam falſa, nobis proponere, illis eſſe priuatos. Sin autem quo caſu (ea eſt inconſtans, incerta & fluxa harum rerum cauſa) verè orbari contingat, quàm acerbiſſimo animi ſenſu, & corporis dolore, præmamur, oratione complecti minimè valemus. Hinc fit earum præſentia, mirificè delectemur, abſentia triſtè torqueamur, & acerbè. Huius rei quamplura, & præclara quidem, & aprimè illuſtria ſacris in antiquioribus, & recentioribus literis, præbentur exempla. Inſtat ārdens antiquus ille omnium ſeruator animantium, arcæ extollere molem; moliri trabes, ligna figere lignis, & bitumine contexere rimas, vt ſibi non hominum tantum, ſed & cæterorum animantium genus, incolumen à vaſtiſſimis conſeruaret vndis. Vltrò ſe *Geneſ c.6.*

 offert

*Gen ſ c. 26.* offert ille, ex cuius ſemine humanum genus cęleſti fœdere Deo cooptandum aliquando erat, quæ ipſe longa, diutinaque ſeruitute, incommodis multis, ſexcentis paſſis laboribus compararat, ne quam faceret iacturam, omnes indagauit, & odoratus fuit vias. Hinc & totius cæleſtis philoſophiæ primus promulgator *Exod. c. 32.* Moyſes, è viuentium libro precabatúr Deum ſe deleri magis, quàm totius populi, naufragium pati. Rex ille Dauid tam Deo gratus, cum animaduerteret, grandi admodum plaga populum ſibi commiſſum affici, ardentiſſimis implorabat votis vltrices ſcelerum, Dei manus; in ſe conuerti magis, quàm totam ſibi creditam, deleri gentem. Hinc legimus ſagacem mulierem illam lumine accenſo, amiſſæ adinueniendæ gratia margaritæ, abſconditas, & reconditas perſcrutatam fuiſſe totius domus partes. Optimus ille Paſtor vniuerſum dereliquit in deſerto gregem, vt vnam inuijs in locis aberrantem recolligeret ouem. Electionis uas exoptabat, magis pro fratribus, quàm eos à ſibi præpoſita deflectere recta via videret, fieri à Chriſto anathema. Credere fas eſt, & quidem ſancte, hac præſenti die Chriſtum, ſicut inextimabili prętio naſcentem fundarat Eccleſiam, æquè viſibili ſuo ſe ſubtrahendo diſceſſu; vltra humanum captum fuiſſe permotum; Si laboribus comparata iniquo patimur derelinquere animo, quid vnquam laborioſius comparatum dicemus? Vbi temporum venit ſtatuta dies, ſupernas reliquerat ſedes, omne erumnarũ genus, calamitates, miſerias, curas oẽs ſubiturus; quouſque inter nos cõſumpto illo ſacratiſsimæ legationis munere vita ſatis viuere, placeret. Terram ſępius peragraturus, quæ ad iræ filios ſpectarent, excepturus; exinaniuit ſemetipſum (exclamat Apoſtol.) formam ſerui accipiens, habitus, & inuentus, vt homo. Mortali indutus carne, ipſum peccatorem, veri peccatores, dixere aliquando? quid ſi ex Samaritanorum gente? Quid ſi publica-

*Matth. c. 18. quia ſancti-tas. 50 diſ c. pænitentẽ. 26 q. 7.*

*Matth. c. 9. Marc. 2. Luc. 5. c. mul ti. 1. q. 1.*

bli-canorum receptorem? Quid ſi ſacrorum dierum cō
temptorem? Quid & ipſum hominem appellant? O ce-
cam mentem, ò tenebroſam, ne obſcuram quidem, ho
minum cognitionem rerum; vbi primum, quid ſe of-
fert, non ſecus, ac oculis intuemur huiuſmodi eſſe ſta
tuimus nobis; Qui ab inenarrabili exorſus eſt origine
illa, non minus numeroſè, quàm aptè, congruenter- *Ioan. c.1.*
que nobis ſcriptum reriquit. In Mundo erat, & Mun-
dus per ipſum factus eſt, & Mundus eum non cogno-
uit. Hac ignorantia, hac deploranda ſecordia, aduer-
ſus ipſum, eleuata ſunt totius terræ cornua. Ea eſt
enim hominum iniqua conſuetudo, vt quæ oculis in-
tueri, quæ intellectu capere nequeunt, ſpernant, ne-
gligant, odio habeant, & ſæpiſſimè modis extermina-
re tentent. Hoc per mille, & vltra annos Rex, & futu- *Pſal. 2.*
rorum cognitor tenſis cecinerat fidibus; Quare fre-
muerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſti-
terunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnū,
aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Eò *Matth. c.8.*
deuenerat ſui ipſius ſtatus, vt qui cælorum, terrarum- *Luc. c.9.*
que potiretur imperio, tamen vbi declinaret caput,
aliquando fuerit conqueſtus. Cæleſtem itaque in ter
ris ducendo vitam, in ipſo diuini peragendi muneris
exordio, Apoſtolicum ad ſe traxerat cætum. Hoſce *Ioan. ca. 1.*
iſtius fluctuantis Eccleſiæ rerum magiſtros, atque An *Luc. c.5.*
tes de verbo vitæ parare, inſtruereque cæpit. Cæleſtia *Matth. c.3. & 10.*
edocuit arcana, antiquorum Patrum inuoluta ape- *Luc. c. vlt.*
ruit dicta, obſcura prophetarum patefecit reſponſa;
ad labores, ad ſudores, ad Mundi in ipſos iram, &
odium præmuniuit. Infernum in ipſos arma ſuſceptu *Matth. c.10.*
rum, terrenos Reges tormentis, cruciatibus, aculeis *Ioan. c.16.*
ſæuituros. Ipſorum imbutæ mentes prauitatis errori- *Marc. c 14. & c.2. 25 q. prima.*
bus deteſtandam ſuſcitaturos carnificinam. Commu
ne penes gentes ipſis dedecus, & odium fore, eius no
mine inſignitos eſſe. & tandem rem eò perducendam, *Matth. 10. c. non reuerte*
vt qui hac mortali, quoad acerbè fieri poſſet, vita ſpo *batur. de pa ur diſt. 2.*

liaſſet eoſdem ſe Deo ſanctè libaturos arbitrarentur.

*Augu. tract 93. & Ioan. cap. 16.*

Vt primum ſe paulululm ſubtraxiſſet, vndique rapaces lupos gregem agreſſuros; ſic Mundum inflammatum ferendum ira, vt non pietas, non pudor, non caſtitas, non innocentia, ab ipſorum cruenta cede reuocaret. in diē magis (ò ſingulare ſcelus, ò à ſeculis inauditā impietatē) maiori odio commouendum; hinc lapides, hinc enſes, hinc ignes, hinc carceres, tormenta, hinc patibula, hinc exilia; erigũtur cruces, acuuntur gladij, intenduntur arcus; ſæuunt homines, fremunt leones, & tandem cuiuſcunque inauditæ mortis inueſtigatur genus: hæc illa dies certè, quàm iam antea prædixerat ipſe Magiſter; venient dies, in quibus auferetur ſponſus ab eis, & tunc ieiunabunt. Quæ humanarum eſt conditio rerum, quibus aſſiduè vexamur animi motibus, eſt certè, cur fateamur, dum ſacer iam adeſſet è terris ad ſupernas ſedes regreſſus, peſſimè cum ipſis, diuini verbi, cultoribus, actum eſſe. inſtant, quæ impia, quæ ſeua, quæ crudelia non dici, ſed nec mēte concipi poſſunt, & tamen ſacrati ſolaminis deſtituuntur præſentia. Nos, qui homines ſumus, hoc diſceſſu fuiſſe dolendum; hac in cęlos Aſcēſione, deſperandum; hac abſceſſione viribus deficiendum, affirmamus. Verùm ſi bene intueamur, ſi Dei potentiam ſcrutemur, ſi rei exitum inſpiciamus, longè melius cum ipſis, & nobiſcum hoc corporeo diſceſſu actum cognoſcemus. Optimè quidem impius ille teterrimo eo in concilio dixit. Expedit, vt vnus pro populo moriatur ne totius gentis iacturam patiamur. Sic & pijſſimus Redemptor, expedit vt ego vadam; cur expedit? audiamus quæſo. Si non abiero, paraclytus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos. quid tum inde? cum venerit ille, arguet Mundum de peccato, & de Iuſtitia, & de Iudicio. Num hæc meta rerum? cum venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quid optabilius, quàm meſtos (& quidem di-

*c. Eccleſiaſticis. 36. diſt.*

*Matth. c. 9.*

*Ioan. c. 11. c. dictum eſt. 1. q. 1.*

*Ioan. c. 16.*

uina) permulceri consolatione? quid iniuſtè vexatis euenire poteſt gratius, quàm improborum proſperitates depreſſas, extinctaſq; aliquando videri? ipſorū impiefacta, meritis puniri pænis? quid iucundius, quā noſtræ ſalutis patentem, adipiſci ſplendorem? ſæpè dixerat, ac ſæpius, huius ſe Mundi Regem non eſſe, has inuiſiſſe ſedes, filios à parentibus euellendi; vxorem à marito ſeiungendi, fratrem à fratre ſegregandi, & tandem huic Mundo ignem imittendi gratia. quę Mūdi ſunt, deſtruere velle, ipſius principatum funditus delere, cæleſtemq; Hieruſalem ædificandam, iam ſibi ante rerū exordia conſtitutum fuiſſe. Eo tendebat tota Chriſti vita, vt crucis paſſis cruciatibus, mortis ſolutus vinculis reſurgeret, vt reſurgendo, reſurrectionis certam nobis exhiberet ſpem. Hac victoriæ pōpa perpetuum hoſtem deuictum, perpetuis etiam detineret carceribus; ipſius arrogantiam obtunderet, mortis clauſtra frangeret, monumenta aperiret, vt reſurgendo Sanctorum corpora, cum eo reſurgerent plura. Sed longè quidem maiora, longè ſanctiora hac in Aſcenſione ſe offerunt arcana. ibi quæ omnes ſuperarat, ſuperata eſt ipſa mors. ibi tartarea regna ſpolijs opimis exuta. ibi marmorea monumenta patefacta; hic cælorum apertæ ſunt fores, hic complentur vacuę beatorum ſpirituum ſedes; ibi nos hanc immortalem, tunc tamen ſumpturus vitam, ſpem dedit; hic in cælos cum ipſo aſcenſuros confirmauit; ibi de hoſte triumphauit; hic Eccleſiam perpetuò ipſius victoria fruituram ſtabiliuit. Surrexit ibi, & corpora multa ſurrexere ſanctorum. hic empireum adiuit cælum, hic omnes per æuum omne in cęlis, cum ipſo victuros beamur. hic finis, hic terminus, hęc meta laborum. Hinc aliquando factum eſt, dum perpetuum Tabernaculū in terris collocare velle profeſſus eſſet totius Eccleſiæ Princeps eundē ignorantiæ nota fuiſſe reprehenſum. Inſcius quidem erat quid aſſereret. quid enim

*Matth.c.10.*
*Luc. c.9.*
*Luc.c.12.*
*Matth c.27*
*Marc.c.9.*

maiori

maiori ſtultitia, & ſecordia dignum, excogitare valemus, quàm finem nobis alicuius negotij præponere, & tamen finis aſſequendi viam euitare? Finis quidem (& ita diuina in mente repoſitũ erat) ab hac fluctuanti Cymba ſe corporis pręſentia ſumouendo, qui fortiter, qui ſtrenuè, qui indefeſsè fluctuũ procellas ad finem vſque peruiciſſet, qui proprias animi affectiones ſedaſſet, qui acerrimam in cõmunes hoſtes peragiſſet pugnam, qui de fallaci hac triumphum duxiſſet luce, qui ſeipſum abnegaſſet, qui ijſdẽ armis, quibus Chriſtũ ſecutus eſſet, ſupernas ſedes perpetuò duraturas promeretur, promerendo illis donaretur, donando inenarrabili, & in excogitabili in felicitate collocaretur. Oculus non vidit vnquã, nõ pertractauere manus, in cor hominis nõ aſcẽdit, quã excelſa, quàm magna quæ diligentibus ſe, præparauerit Deus. Satis nõ eſt labores proponere, non quidẽ laudabile ad militiam vocare (aſſidua, & periculoſa quidẽ quouſq, hac vita fruimur, exercemur militia) ad pericula, ad tormẽta, ad pænas ducere, niſi & optata eſſent ſtatuta præmia; optimus pater ille familias operarios in vineam miſit ſuã, pollicitus tamen quod iuſtũ fuiſſet, ſe eis daturũ; exiſtimaui ſemper in eo minime accuſandũ Principem Apoſtolorũ, ſi omnibus deſtitutis percõtatus fuerit aliquando. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Nihil eſt quidẽ certè quod ęquè conueniat, quã laboribus pręmia. Triturãti (in ſacro veteri eloquio habemus) boui os nequaquam alligandum eſſe. Alibi & Chriſtus ipſe in domo æterni patris multas dixerat eſſe manſiones; Ne autẽ ſua abſentia debiliores ſuos redderet ciues, ſe cum ipſis ad huiuſce orbis vſque conſumationem adfuturũ fuerat pollicitus. Se Dei ſpiritum miſſurũ, qui eos ſolaretur, eos validiores redderet, ipſorum curam, tutelam, protectionemq; haberet. Nequeo ſatis mirari, neque admirationi meæ finem reperire poſſum, dũ me

*Ad Corint. epiſ.1.ca.11. Iſai. 64.*

*Matth.c.19.*

*Matth c.10 ad Rom.c.4 Deut.c. 25. Ioan.c. 14. Matt.c.vlt.*

cum

cum ipſe perpendo, aſtante Chriſto inter futuræ Eccleſiæ iam conſtitutos Proceres: illos debiles, timidos, parum amantes, parum ſibi conſtantes eſſe; quid de ſe ſit futurum, titubat Petrus, ipſe idem Chriſtum ignorare iureiurando affirmat, idem ne præceptor dira velit, increpat pati. Aufugit Ioannes; ſpe deſtitutos fatentur omnes; incredulus eſt Thomas; clauſa ſe cuſtodit intus præ timore mortis vniuerſa Eccleſia. Quid multa? hac fœlici die redarguit incredulitatem refellit cordis duritiem ardentiſſimis detegit ipſorũ timiditatem, ac ignauiã verbis. Has terrenas vbi primum deſtituit Chriſtus ſedes, illoſmet in Principum conſpectu inſpicimus fortes, coram Regibus inuictos mortis contemptores, libere atteſtari, ſe ea loqui, nec aliàs effici poſſe, quam quæ ipſorum aures audiuere, ipſorum de verbo vitæ contrectauere manus, negligunt Mundum, & gloriam eius, euitant popularem famam, proijciunt diuitias, pauperrimam ducunt vitã, ſe ipſos ſpernunt, & tandem pro Chriſto mori dulce, optabile, & decorum putant. Quid mirabilius, quid incredibilius, quàm nonnullos, & quidem numero paucos, humili loco natos, opibus penitùs exutos, literarum ignaros, ſine fautoribus, ſine clientibus vniuerſum debellare Mundum? Quid Mundum dicam? Immo Inferni fundamenta excutere, immundos ſpiritus ablegare, Idola infringere, omnibus cruciatibus dęmones afficere. Hac pauperum potẽtia; hac literas ignorantium doctrina, hac piſcatorum eſca, hac paſtorum caula collum ſuppoſuit iugo ad illius vſq; tẽpora inuictum Romanorum Imperium; cecidit Athenienſis dorica eloquẽtia, miſerè obmutuit omnis philoſophia, captum vniuerſum genus humanum, mutatæ gentium leges, mutati mores, mutati Reges, & tandem ſub vnius Paſtoris cura ad vnum gregem deductæ ſunt nationes cunctę. Hodie hac Aſcẽſione ſacra patefactæ ſunt cælorum fores, quæ per tot annos, per

*Luc.c.12.*
*Marc.c.10*
*Matth.c.19*
*Ioan.c.20.*
*Act. Apoſt.c.4.*
*Epiſ. Ioan.1.c.1.*

tot

tot ſecula recludente parentum piaculo fuerant clau
ſæ. Hodie cæleſtis poſita eſt cæna illa. Hodie Regales
*Matth.c.22* ad nuptias inuitati vocantur. Hodie de morte præeũ-
te immortalitatis ſigno, pulcherrimus ducitur trium-
phus. Hoc fœlici Aſcenſu cælos impiis patere poſſe
monſtratur, in terris noſtram manſionem minimè eſſe
indicatur; nos cælorum ciues ſignificatur: Hanc verã
peregrinationem agnoſcimus ſupernam Hieruſalem
ciuitatem abſolutam requiem eſſe, videmus. Non eſt
vera vita, dicebat. S. Auguſt. niſi vbi fęliciter viuitur;
nec vera in corruptio, niſi vbi ſalus nullo dolore cor-
*Ioan. Chriſoſt. in homil de Aſcenſ* rũpitur. Admirabilis certe fuit Chriſti Aſcenſio; quid
enim mirabilius, quàm hãc carnem noſtram ſuper An
gelorum choros collocatam? Naturam illam, ob cuius
reatum à cherubin deliciarum cuſtodiebatur locus;
hodie ſummo cũ honore ſuper cherubin ſuſceptam eſ
*Geneſ c.3. Greg homil. 9.* ſe? paulo poſt ſuſceptam à Deo hanc mortalem formã
primo mortalium omniũ patri dictum fuiſſe non igno
*Bernar. ſup pſ dixit Dominus.* ramus; Terra es, & in terram reuerteris. Hodie tamen
derogatum huic experimur legi; Terra non in terram
conuertitur, ſed ſuper omnes cælorum orbes colloca
tur. Terra quidem à principio condita, vt hominis re
geretur imperio: Hodie mutata lege cælos formatos
dicemus, vt eſſent ſedes, & perpetua hominũ requies.
Quam omnem humanæ mentis aciem ſuperet Aſcen-
ſio iſta, ex eo optimè colligere valemus; Cũ enim ni-
*Ioan c.6.* mis obſcurus diſcipulis videretur ſermo ille Chriſti;
viuentem carnem, verum, & cæleſtem panẽ eſſe, iſtius
admirandæ futuræ Aſcenſionis commemoratione du
bitandi omnis amota fuit occaſio; quid Chriſti durũ
ſermonem eſſe putatis, quid tum affirmabitis creden
dum, cum videritis hominis filium aſcendentem, vbi
prius erat? O mirabilem diem, ò expectatum finem, ò
factum obtenebrans ingenij noſtri quaſcunq; vires.
Deus humanam ſuſcipit corpoream veſtem, & homo
diuinitate ornatus, ſacris ſupereminere ſpiritibus;

Deus

Deus ipſe naſcitur homo, oblatus eſt pro peccatis noſtris acceptabilis hoſtia vitulus. Leo fractis mortis carceribus noua reuiuiſcit vita, & ad cælos aſcendendo inſtar Aquilæ renouata eſt iuuentus ſua. Aſcendit, vt perpetuo apud Deum Opt. Max. aduocatum in cælis haberemus; Aſcendit, vt perpetuo, & inexpugnabili muro Eccleſiam muniret ſuam, adeo inexpugnabili, vt portæ inferi præualere nequirent vnquam. Fremat licet Infernum, exurgant immanes ſpiritus, arma extollat Mundus, muſitent hæretici, ad bellum prouocēt hoſtes, vndique munita, ab omni periculo ſæpta permanebit caſtrorum. Eccleſiæ Dei acies ordinata. Si Deus (exclamat Apoſtolus) pro nobis, quis contra nos? Scimus quidem miſticè ſacro in ędulio nobis cōmorari eundem, & tamen longè profectum, non ignoramus: Abijt, non ideo diſceſſit; profectus eſt, & quidē longè, & adhuc in medio aſtat noſtrum; Iuit ad Patrē, reſidet in Eccleſia; fruitur æternis ſedibus, & in terris degentes ipſius lucem experimur. Deſiderabilis Aſcēſio, hac enim ratione, ſpiritum erat deſtinaturus ſanctum. Iucunda profectio; vt nobis locum apud Patrem pararet. Hac numquam ſatis laudata die; dum naturā hanc noſtram ſuper ſydera collocauit: fidelibus cæleſtia patere poſſe, monſtrauit. Dum victor æterno potitur imperio, & nos ipſius milites, cum eo potiri poſſe oſtendidit. Nos Chriſti mors (ita S. Auguſt.) viuificauit, nos Reſurrectio erexit, nos Chriſti Aſcenſio conſecrauit. Hinc videre licet vias Domini longo quidem tramite ab hominum vijs diſiunctas eſſe. Rerum priuatione, amicorum ſeparatione, ducum diſceſſu, debiliores redduntur homines, ſecùs autem ſunt viæ Dei, quò magis abeſſe videtur, eo propius eſſe conſpicitur. Dicere liceat quęſo, propè eſt Dominus inuocantibus eum. licet aliquando concuti viſa ſit Eccleſia Chriſti ipſo etiam adhuc præſente; dum ſcandalo affecti diſcipulorum quidam cœperunt abire; dum ne mortem ſu-

*Greg. homi. ...*

*Ad Rom. c. 8.*

*Aug. in ser. de aſcēſione.*

mere

mere vellet, fuerunt præcati: dum in vltima nocte illum deſeruere, dum non ita facilè reſurrexiſſe credidere: dum maris fluctibus obrui timuere. Verùm vbi lõginquam in regionem profectus eſt Dominus iſte, vbi diuino ſpiritu ſunt muniti, gaudentes ibant ad conſpectum Regum, non carceres, non tormenta, non enſes, non ignem, non ferocia animalia, non Mundi Dominos, non cruces, non tandem totius Inferni potentiam timuere. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? *Ad Ro. c. 8.* dicebat vas electionis ipſe. Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius. O nos felices, ò verè beatos, ſi iſtius Aſcenſionis beneficio potiundi detur facultas. Quàm ardẽtiſſimis poſſumus precibus à te Deus Optime Maxime rogamus: Tibi Chriſte, tibi Sancte ſpiritus intima præcordia offerimus, vt iſtius Sacræ Aſcenſionis hiſce mortalibus ſoluti vinculis imitatores eſſe poſſimus. Tibi Deiparæ militantium Duci. Tibi inquam dulce decus, ſolum ſolamen, vnicum præſidium vota perfundimus. Vos Petre, & Paule, vniuerſæ Eccleſiæ veri Antiſtites, oramus, ſic fractas vires noſtras fouere dignemini, vt deuictis, penituſque debellatis hoſtibus noſtris, beatorum & nos corona præmio afficiamur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.